

XIIII. Constat inter plures et crocodili testiculum pondere X I aut victoriati per dies triginta ex aquae cyathis tribus sumptum multos remediassse.

XV. Ad recentem comitiam morbum cito proficit, ad veterem tardius: thymi albi X p. III ex aceti cyathis tribus et mellis boni pondus 5 uncia; ut dilutum ieiunus bibat per dies quadraginta quinque. sed cum biberit, citatus ambulet milia passuum non minus III et dimidium.

XVI. Scio Romae quandam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: eboreae scobis hemina, mellis Attici pondus libra. haec in unum miscentur; postea adicitur, si puer fuerit qui 10 laborat, testudinis masculae, palumbi masculi, utrorumque ferorum, id est nuper captorum, sanguis, quantum fluxerit, dum viva utraque animalia dimittantur: sin autem puella fuerit, feminini generis animalia sint et eodem modo capta sanguine effuso emittantur. oportet autem clavum Cypri aeris acutum demittere in iugulum testudinis et palumbi ve- 15 nas, quae sub alis sunt, aere acuto incidere. hoc medicamentum ligneo vaso signatum reponitur. cum opus fuerit, dantur ex eo luna decrescente per continuos dies triginta primum coclearia tria, deinde quinque, deinde septem, deinde novem, summum undecim, et rursus novem, deinde septem, deinde quinque, postea tria et iterum augetur minuiturque numerus 20 cocleariorum, donec dies triginta ante dicti consumantur. postea oportebit scobis eboreae heminam per duos menses consumere vitio correptum, accipientem ex ea terna coclearia in die ex aquae cyathis tribus. hoc medicamento qui utitur, neque vinum neque suillam gustet; praeterea 25 habeat in brachio viriam eboream.

XVII. Nam sunt et qui sanguinem ex vena sua missum bibant aut de calvaria defuncti terna coclearia sumant per dies triginta; item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam novies datam consumant. quaeque eiusdem generis sunt, extra medicinae professionem cadunt, quamvis profuisse quibusdam visa sint. 30